



1713, 16.

DISSERTATIO JURIDICA,  
DE RESTRICTA TESTATORIS POTESTATE,  
CUJUS DEFENSIONEM  
PERMISSU  
ILLUST' RIS F'CTORUM ORDINIS  
SUB PRAESIDIO  
VIRI EXCELLENTISSIMI,  
DN. D. JOH. CHRISTOPHORI  
SCHACHERI,  
PANDECT. PROF. PUBL. ORD. PRAESULATUS  
MARTISBURGENSIS CANONICI, ACADEMIAE DECEMVIRI,  
FACULTAT. JURID. ASSessoris, ET RELIQUA.  
*PATRONI ATQUE AVUNCULI SUI*  
VENERANDI,  
D. VII. APRIL. A. R. S. M. DCCXIII.  
SUSCIPIT  
CASPAR. FRIDER. SCHAMBERG,  
LIPSIENS.  
—  
LIPSIAE  
TYPIS ZEIDLERIANIS.

DIPLOMATICA JURIDICA

RESTITUTA

RESTITUTORIS

PROLOGUE

QURRIUS ETIENNE MAN

EGO SACRA MUNDO

PERPETUALIS INSTRUMENTUM

VIRO.

MAGNIFICO. ATQUE. EXCEL-  
LENTISSIMO.

DOMINO.

QUIRINO. HARTMAN.  
NO. SCHACHERO.

JCTO.

POTENTISSIMI. REGIS. AC. ELECTO-  
RIS. SAXONUM. CONSILIARIO. CURIAE.  
SUPREMAE. PROVINCIALIS. ET. SCABINATUS.  
LIPSIENSIS. ASSESSORI. TEMPLI. NOVI. ANTISTITI. NEC.  
NON LIPSIENSIMUM. REIPUBL.  
CONSULI.

S. D. P.

VIR  
MAGNIFICE ATQUE EXCEL-  
LENTISSIME,  
PATRONE ET AVUNCULE  
AETERNUM DEVENERANDE,



Ot tantaque benefiorum  
genera, quibus à teneris jam  
unguiculis me nullo pror-  
sus merito TIBI cognitum  
cumulasti pariter atque or-  
nasti, non effecerunt so-  
lum, ut de incredibili  
TUA benignitate convictus summa TUI sem-  
per sim affectus admiratione, sed dies mibi  
quo-

quoque noctesque sponte jam currenti addiderant stimulus, ut quacunque etiam fieri posset ratione, devotissimam **TIBI, VIR. MAGNIFICE**, mentem contestarer, animumque approbarem devinctissimum gratissimumque. Et singi quid posset opportunius, quid accidere exoptatius hac, quæ mihi sese hoc ipso die offert, occasione publicum venerationis in TE meæ edendi documentum. Cum enim in Cathedram de **RESTRICTA TESTATORIS POTESTATE** verba publice facturo mihi jam sit descendendum, in excellentissimum **NOMEN TUUM** profecto essem injurius, notamque hominis ruris pleni & inficiarum, imo ingratisimi vix ac ne vix quidem evitare possem, nisi hasce pagellas **TIBI, PATRONE SUMME**, dicare & quasi vellem consecrare. Sunt quidem, diffiteri non possum, ad expungendum aliqua saltē ex parte nomen meum nimis imbelles, satisque declarant, quantum meæ in compensandis beneficiis sint restricta vires, nihilominus tamen cum natura TUA magis, quam dici potest, benigna in spem me adducat certissimam, fore ut foetum **FRATERNAE** eruditionis hilari sis accepturus fronde, deditissimique clientis conatus consueta

sueta prosecuturus benevolentia, a concepto se-  
mel haud desisto consilio. Accipe igitur, *PATER* *TRONORUM CORIPHAEE*, pietatis ac  
nunquam intermorituræ observantiae meæ te-  
stes ex summa animi proficiscentes religione, nec  
unquam patrocinio TUO optimo maximoque  
eum dignare, cuius vita diuturnior non erit,  
ac memoria innumerorum TUORUM merito-  
rum. Ultimam huic nunc admoveare possem  
manum epistolæ, nisi omnium civium, imo uni-  
versæ Lipsiæ omniumque bonorum preces, quas  
fundunt, gratulationesque, quas *SUO CAPITI,*  
*SUO QUE* exsolvent *SCHACHERO*, ad  
imitationem & me quoque excitarent, & adgra-  
tulandum *TIBI, AVUNCULE HONORATISSIME*, atque bene precandum adhorta-  
rentur. Gratulor itaque *TIBI, VIR MAGNIFICE*, de fasibus consularibus, quos TUA in  
Rempublicam fides, TUA vigilantia, TUA que la-  
te circumfusa sapientiæ fama ante multos jam an-  
nos meruerunt, quosque omnium ex voto, omni-  
umque cum applausu paucos abhinc dies Ordini  
nis Senatorii Patres Venerandi *TIBI* detulerunt.  
Servet TE DEUS, summus Rerumpublicarum  
Stator in decrepitam, usque senectutem optima  
præditum valetudine, in totius Reipubl. quæ Li-  
psiæ

psia est, emolumentum, in literatique orbis orna-  
mentum: servet TE, inquam, summum Numen,  
**MAGNE SCHACHERE**, in **GENTIS  
TUAE** splendorem, in innumerorum, TUO  
qui sibi de patrocinio gratulantur, imo  
mei meorumque solatium. De me vero,  
quantum ipse quidem polliceri possum, per-  
suadeas TIBI velim, me donec ultimum mortali-  
tati erit dicendum vale, eo omnibus esse annisu-  
rum viribus cogitationibusque, ut unum in TE  
venerationis meae specimen alterum excipiat,  
nec ullum unquam tempus cursum impeditat de-  
vinctissimae in TE universamque **TUAM  
GENTEM** pietatis. Vale.

**MAGNIFICI, EXCELLENTISSI-  
MIQUE NOMINIS TUI,**

*cultor observantissimus devotissimusque*

CASPAR, FRIDER. SCHAMBERG.

PROTECTORUM ROMANORVM  
AUT VICTORIÆ TITULI

## ОДИНАДЦАТЬ ЛЕСОВЪ ДЛЯ ГАДОВЪ



Ertiam objecti Juris partem consti-  
tuunt actiones, quatenus sc. illæ in  
Judicio instituendæ & exercendæ,  
& videndum, quoisque testatoris  
potestashic restricta sit. Cum au-  
tem ab initio & in exordio litis pri-  
ma Judicis cura esse debeat, ut ami-  
cabilis inter partes instituatur trans-  
actio, ne difficiliores deinceps fiant tractatus, postquam  
jam utrinque cause momenta rigidius agitata, & ab invi-  
cem examinata, expensæ etiam amissæ fuerint. Ziegler-  
rus de officio Judic. conclus. 22. §. 6. Quapropter LL. XII.  
tabb. cautum fuit, ut non aliter actio institueretur, quam si  
pacto lis componi non posset. Goldast. ad LL. XII. tabb.  
Lib. 2. tit. 5. §. 1. Non inconcinnè queritur: An Testator  
transactionem prohibere possit? Neg. Joh. Bapt. de Lu-  
ca in theatr. verit. & iust. tom. 10. tit. de fideic. disc. decisiv.  
154. num. 21. Quia talis prohibitio de non transigendo  
est contra bonos mores, & ceu litium nutrimentum, in  
privatam non saltem, verum etiam Reip. perniciem tende-  
ret, ac proinde non valeret. Hinc licet testator bona fi-  
deic. non tantum alienari, sed de illis quoque transigi no-  
minatim prohibuerit, non obstante illius præcepto,  
fideicommissariis nihilominus jus de fideicommisso  
transigendi competit, ut nihil dicamus, quod cæteris pa-  
ribus unicuique beneficium, ab alio in se collatum, in-  
vito quoque eo, qui id dedit, repudiare integrum sit. L.  
69. & 156. §. f. de R. J. Undenata communis DD. sententia,  
fideicommissio à fidei commissariis, contra expressam te-

A

stato

Testatoris  
num relatum  
sit arbitrio, Le-  
gem de non  
transigendo  
heredibus præ-  
scribere?

testatoris dispositionem renunciari posse. Galleraz. *de Re-*  
*nunc.* T. 2. *Ren.* 44. n. ii. Knypschild. *de Fideic.* C. 16. n. 120.  
 Lim. nisi testator transactionem non absolutè, sed modi-  
 ficate tantum prohibuisset, v. g. his verbis: Hæredes mei  
 non transigant, nisi cum consilio Agnatorum, quo casu  
 ejus voluntati utique parendum esset. Joseph. Urceolus  
*de transact.* qu. 62. n. 7. testator enim hæredibus, ut transigant,  
 imperare potest, quæ dispositio tamen non nocet  
 parti adversæ, quia nemo regulariter ad transigendum vel  
 paciscendum compelli potest. arg. l. 56. §. 1. ff. *de Evict.* l.  
 41. C. *de Trans.*

## § II.

Compromissa quoque ad finiendas lites pertinent. l.  
 1. ff. *de recept.* qui arbitr. Cum autem arbitri compromissarii  
 liberâ voluntate à partibus eligantur, l. ii. §. 1. ff. eod. Te-  
 stator itaque præcipere nequit, ut adversa pars compro-  
 missum ineat cum hærede; Cohæredes autem, ut ad se-  
 condas discordias compromissum ineant, ultima sua di-  
 positione cogere potest, ne autem hoc præceptum de  
 compromittendo exspiret, per primum compromissum,  
 animadvertere debet testator, ne simpliciter jubeat de  
 omnibus controversiis, quæ nasci possent inter suos hæ-  
 redes, compromissum fieri in aliquos ex consanguineis vel  
 amicis, quia sic semel facto compromisso, si compromis-  
 sum non haberet effectum, non posset iterum ex testamen-  
 to peti compromissum. Sed addat clausulam, toties,  
 quoties fuerit compromissum petitum, quo casu compro-  
 missum iterum peti posset, arg. l. 34. §. 1. ff. eod. & quia de-  
 cedentibus compromittentibus, unove eorum, compro-  
 missum finitur, nec ad hæredes compromittentium tran-  
 sit. l. 27. §. 1. ff. &c. fin. X. eod. cum arbitri nullam aliam  
 habe.

Testator num  
heredes eo adi-  
gere queat, ut  
ineant com-  
promissum?

habeant potestatem, nisi quæ ipsis a cōpromittentibus  
 data est, & quatenus data est, l. 50. ff. eod. & compromisso  
 tantum cautum sit, ut ipsi arbitri inter compromittentes  
 arbitrium dicant; non potest compromissum transire ad  
 compromittentium hæredes, ut itaque compromissum  
 extendatur in compromittentium heredes, sit cautus te-  
 stator, ut jubeat etiam ab hæredibus heredum fieri com-  
 promissum. Nec obstat l. 13. ff. de neg. gesl. verb. aut ex  
 compromisso committeretur &c. ex quibus verbis deducitur,  
 post mortem compromittentis transire compromissum  
 in hæreditatem jacentem, & per consequens in heredem;  
 Igitur non opus esse, ut testator de hæredibus heredum  
 mentionem faciat. Sed resp. in hoc textu præsupponi-  
 tur, sententiam ab arbitro dictam fuisse in vita compro-  
 mittentium, licet uno eorum defuncto ad huc executioni  
 mandata non esset, sic enim potuit committi poena adver-  
 sus ejus hæreditatem jacentem l. 37. ff. de recept. qui arbitr.  
 recep. Melchior de Valentia. Tomo 3. illustrium tract. 1. cap.  
 2. n. 8. obstat quoque videtur textus in l. 32. §. 10. ff. de re-  
 cept. qui arbitr. recep. ex quo deducitur, compromissum  
 non extingui morte compromittentis; si quidem postea  
 potest arbiter sententiam dicere, verum resp. in hac Lege  
 actum fuit expressè de compromittentibus, ut ad hæredes  
 compromissum transiret; unde rectè dicitur, etiam de-  
 functo uno ex compromittentibus, posse arbitrum sen-  
 tentiam dicere. Sed ut ad unius ex compromitten-  
 tibus heredes compromissum transeat, testator cavere  
 nequit, arg. l. 49. §. ult. ff. eod. quia ejus obligatio mutua  
 est, nec deber claudicare ex parte unius. l. 21. §. 11. ff. eod.  
 Claudicaret autem ejus obligatio ex parte alterius, liqui-  
 dem ex unius parte ad hæredes transiret, ex alterius parte  
 minus. Pari modo restricta est testatoris potestas, quo-

ad personam arbitri, nam ut ad heredes arbitri *compro-*  
*missum transeat, disponere nequit.* arg. *C. 50. X. de testibus;*  
*quis arbiter invitus ad arbitrium recipiendum cogi ne-*  
*quit, sed ejus liber consensus desideratur,* *l. 3. §. 1. ff. dере-*  
*cepit.*

## §. III.

Testator pro lu-  
bitu die etiam  
feriato testa-  
mentum con-  
dere potest,

Actus judiciale regul. diebus feriatis, præprimis sa-  
cris, quiescere debent, *L. f. §. 1. C. de Judic.* & quod in feriis  
eiusmodi actum non obligat ad obsequium. *C. ult. X. de*  
*Feriis. Mev. P. 3. Dec. 276. n. 7.* nec quosvis actus voluntariae  
jurisdictionis iis recte expediri statuit Struv. in *S. J. C. Tit.*  
*ff. de Feriis Th. 35. Zoës. ad ff. eod. n. 8. conf. L. 2. pr. & 8. C.*  
*defer. & dil.* hinc nec testator die feriato testamentum  
condere posse videtur, cum testamenti factio sit actus vo-  
luntariae jurisdictionis. Verum cum nusquam in jure  
actus testandi die feriato prohibitus sit, & actus voluntariae  
jurisdictionis, qui causæ cognitionem non requirunt,  
ut appellationis infinitio, manumisso, concedantur fe-  
riatis diebus, *L. ult. C. defer.* ejusm, testamentum valere  
præjudicio confirmat Joh. Burch. Rosler *Seçt. 1. Dec. 18.*

## §. IV.

Actionem regul, instituere potest omnis, qui est Do-  
minus Litis, ac liberam rerum suarum administrationem  
habet, & in judicio standi personam, testator tamen & illi  
Testatori per-  
missum agendi  
potestatem  
executori con-  
ferre testamen-  
tario.

facultatem agendi dare potest, qui Dominus Litis non est:  
sic executor Testamentarius regul. non potest agere con-  
tra debitores hæreditarios, & ubi agere potest, antequam  
item contestetur, procuratorem facere non potest. *L. n.*  
*C. de Procur.* & contra heredem quoque agere non po-  
tit, nisi sit executor ad pias causas. Sed si testator det illi  
pote-

potestatem agendi, procuratoremque constituendi, potest executor ad libitum, etiam hīc non contestata, Procuratorem facere & contra hāredes, & debitores agere; contra testator potest prohibere hāredem, ne exerceat actionem propriam; Soarez ad L. quoniam in prioribus. Valide exercitum actionis propriæ interdit testator heredibus.

*Ampl. 7. C. de Inoff. Testam. n. 1. e. g. si liberis prioris matrimonii competeteret Jus Protomiseos in domo paterna, potest Pater in favorem liberorum posterioris matrimonii prohibere in suo Testamento, ne hoc Jus Protomiseos exerceant. Restricta tamen est potestas testatoris, si liberi tantum in Legitima sunt instituti, quo casu patris prohibitio liberis non nocet.*

## §. V.

Actiones personales contra heredes dantur pro portione hereditaria, quia ipso Jure nomina & actiones inter hāredes sunt divisa per L. 25. §. 1. ff. Fam. erc. & L. 6. C. eod. sed quid si testator in suo Testamento disposuerit, ut contra unum heredem in solidum dari debeat actio, & reliqui ab ea immunes maneant, an hoc valeat? Distinguendum esse putamus inter creditores & heredes, in præjudicium creditorum non valer, L. 3. in f. ff. fam. erc. Bald. de Dote Priv. 33. n. 1. Bertach. in Repert. L. T. Fol. 202. Stuck. P.

*Testatoris validia est disponitio, ubi heredibus injungit, ut unus ex illis in solidum factis faciat creditoribus,*

i. Conf. 23. n. 227. Cum nec pactum hāredum debitoris in præjudicium Creditorum valeat. Boer. Dec. 57. n. 3. Debitor enim in alios vinculum suum ita transferre non potest, ut Creditor cum eo litigare teneatur, nec item hoc modo transferre licet, nam alter alterius conditio nem deteriore reddere nequit, l. 155. de R. J. Bene tamen in præjudicium heredum. arg. l. 14. C. de R. V. Dn. Stryck. in Caut. Contract. Sect. 3. c. 4. §. 6. Pari modo uti testator disponere potest, ut singuli heredes in solidum

obligentur Creditoribus. arg. l. 8. §. 1. ff. de Leg. I. l. 16. ff.  
de Leg. 2. vid. Ronchegall. ad l. 9. ff. de duobus Reis n. 291. seqq.  
cum aliàs hæredes debitoris teneantur ad æs alienum de-  
functi creditoribus hereditariis exolvendum pro portioni-  
bus hæreditariis, l. 1. C. sicut pet. l. 2. C. de bered. Action  
quatenus enim ponitur causa, eatenus ponitur effectus;  
Successio est causa obligationis in heredibus. Ergo ea-  
tenus obligantur, quatenus succedunt. Similiter, quia  
singulis heredibus pro portione hereditaria competit  
actio in singulos debitores. Testator quidem in præjudi-  
cium reliquorum heredum uni ex heredibus nomen præ-  
legare potest. l. 4. pr. ff. fam. ercif. non verò in præjudici-  
um Creditorum, v. g. si Creditori contra Cohæredes  
competat compensatio, quia facto debitoris non potest  
conditio Creditorum fieri deterior, l. 25. C. de pact.

Exactionem  
nominis recte  
testator uni  
heredum per-  
mittit.

Testator fines à  
Lege actioni-  
bus definitos  
nec ampliores  
nec angustiores  
reddere  
potest.

Ut evitetur incertitudo Dominiorum, tandemque  
aliquis sit litium finis, arg. l. 1. ff. de usucap. omnibus actio-  
nibus certi termini sunt præscripti, ultra quos institui non  
possunt, Pr. J. de perp. & temp. action. Testatoris itaque  
potestas est restricta, ut ultra Legum præscripta Actiones  
breviores vel longiores facere non possit. L. 55. ff. de Leg. I.  
Mich. Grassis Rec. sent. Lib. I. qu. 74. Nam obligatio se-  
mel nata non extinguitur ullo modo, nisi tantum per mo-  
dos, quos Lex definirit ad sui resolutionem, pr. J. de perp.  
& temp. act. L. 44. §. 1. ff. d. O. & A. Sic Testator actionem,  
quam Legatarius contra heredem habiturus est, co-  
arctare non potest. Nec obstat. L. 72. ff. de acq. vel. am.  
ber. quod testator posuit, non obstante, quod Jure Com-  
muni habeat annum, tamen brevius tempus assignare,  
Joh. à Sande in Decis. Fris. Lib. 4. tit. 6. Def. 1. Distinguen-  
dum

dum enim est inter Jus quæsitum & quærendum, illud co-  
arctari non potest, in hoc autem efficere potest, ut bre-  
viori citerioreque tempore actiones seu obligationes  
finiantur. Regerunt, Legatarium tempore, quo testa-  
mentum sit, non habere Jus quæsitum, sed jus quæren-  
dum. *l. 03. ff. ad L. Falcid.* & tamen etiam eo tempore  
obligationem & actionem, quam Legatarius contra he-  
redem habiturus sit, brevius, quam à Jure statutum sit,  
finiri non posse. Verum responderet: Distingu. Utrum  
agatur de acquisitione inchoanda & in esse producenda,  
an verò agatur de acquisitione jam inchoata, & in esse  
producta, resolvenda s. extingvenda. Testator enim  
primo casu poterit efficere, ut heres ad adeundam hære-  
ditatem non admittatur, nisi forte intra sex menses à tem-  
pore mortis ipsius; secundo verò casu, quando per adi-  
tionem hereditatis obligatio nata & in esse producta est,  
ut in §. 5. *J. de Oblig. ex Quasi Contr.* eaque obligatio, qua  
heres Legatariis tenetur, perpetua est, non poterit per  
testatorem fieri temporaria. Gutierrez tamen ad *L. nemo*  
*potesff. de Leg. l. n. 460.* distingu. inter actionem perso-  
nalem & realem, & hæc, quæ diximus, respectu tantum  
actionis personalis procedere afferit; secus verò in actio-  
nibus realibus, quas certo tempore finiri testator jubere  
possit. Licet autem voluntas testatoris jubentis actio-  
nem certo tempore finiri, ipso Jure non teneat, ope ta-  
men exceptionis valet. *l. 44. §. 1. vers. placet &c. ff. de*  
*O. & A. l. 4. ff. de Serv.* Nec obstat, quod testator procu-  
ratorem ad tempus constituere poscit, *l. 3. ff. de Procur.*  
Respondeatur enim, aliud esse obligationem, aliud con-  
tractum. Nam Contractus è quidem natura sunt, ut ad  
certum tempus constituantur; sed obligatio semel inde-  
nata, est perpetua, quæ etiam ad hæredes transit, licet con-  
tractus

tractus ad heredes non transeant, ut Mandati, Societas. Ratio differentia est, quia obligatio est juris, contractus est magis facti, & proinde ex voluntate pendet, cùjusmodi facta Legem dant contractui. L. 1. §. 6. ff. depositi.

## §. VII.

Legatum rei  
litigiosa effe-  
ctu non deli-  
tuitur,

Res litigiosa, de cuius proprietate lis mota est, vel actio, quæ in judicium deducta, & de qua lis contestata, alienari aut cedi non potest, Nov. 112. c. 1. Carpz. P. I. C. 32. D. 22. Alioquin alienatio est ipso Jure nulla, L. 2. & 4. C. de litig. Utrum autem Testator rem seu actionem litigiosam, vel nomina sua jam abs se in Judicium deducta legare possit; Quæstio movetur, & respondetur Aff. 1. f. §. 1. in fin. C. de litig. & hoc casu hæres nihil præstare tenetur, quam litis eventum. Nov. 112. c. 1. Tulden ad Cod. tit. de litig. n. 5. & si debitor nihil debeat, hæres ipsam pecuniam summam exsolvere non tenetur; Secus si testator dixerit, Lego Centum, quos Sempronius debet, ubi illa pecunia summa debetur, licet nihil debeat, voluit enim testator se constituere debitorem. Hinc Legata re seu actione litigiosa, si Legatarius continuet Processum, ea propter Processus non irritatur, nam Artb. nunc si hæres &c. C. de litig. non dicit, quod Processus ea propter sit irridandus, præsertim hærede & Reo non contradicentibus, sed Legatarium agere patientibus. Inter res alienari prohibitas etiam referuntur subsellia, v. Ord. Eccl. El. Sax. Art. Gen. 36. §. derowegen. verb. Und soll keine Macht haben einigen Stand bei seinen Leben andern zu verkauffen, conf. Dn. Stryk in Not. ad Brunn. f. Eccl. L. 2. C. 2. §. 11. Hinc queritur: An parochianus per ultimam voluntatem disponere posit de subselliis, Resp. neg. sub prohibitione

tione enim alienationis etiam testamentariam dispositio-  
nem prohibitam esse, communiter statuunt DD. per L. 88. §.  
16ff. de Leg. 2. & L. 8. §. 2. C. de Sec. nupt. Carpz. L. 2. T. 23. Df. 363.  
& valebit etiam hoc in passu argumentum à feudo, usufru-  
ctu vel alio jure ad dies vita saltem alicui concessu, quæ  
itidem respuunt dispositiones ultimarum voluntatum, I.  
F. 8. inf. 2. F. 9. §. donare. Schrad. de Feud. P. 8. C. 2. n. 4.  
Nisi concedens & ceteri, quorum interest, consentiant, ubi  
talis quoque de feudo dispositio valet, si dominus & agna-  
tivel simultaneo investiti speciatim consentiant. conf. 1. F.  
21. Stryck. de Caut. Testam. C. 3. M. 1. & 2. Exinde porro infer-  
tur, cum pater in testamento uni ex filiis feendum assigna-  
re possit, ita ut reliqui facto patris contravenire neque-  
ant, Carpz. P. 2. C. 40. Df. 9. inf. & P. 3. C. 10. Df. 9. Dn. Berger.  
in El. Discept. For. p. 1542. Dissent. Dn. de Rhetz, in Jure  
Feud. p. 301. inf. Struv. S. J. C. C. 13. Aphor. 16. n. 5. Rosenth.  
de Feud. C. 7. Concl. 13. modo reliquis liberis legitima sal-  
va maneat, etiam patrem uni ex filiis subsellium as-  
signare posse. Sed quid si quis ecclesiæ legatum sub con-  
ditione, si Cajo subsellium assignaret, relinquat. Et di-  
stingv. esse putamus, num aliud adsit, qui meliori jure illud  
prætendere possit, an non: priori in casu legatum pure de-  
fertur, conditio enim potestativa si impeditur ab aliquo  
homine, quo minus existere queat, habetur pro adimple-  
ta, L. 40. pr. L. 57. 84. 101. §. f. ff. de Cond. & Dem. Sed po-  
steriori in casu conditionem ecclesia adimplere tenetur,  
L. 211. ff. eod.

## §. VIII.

Actioni opponitur Exceptio, I. 8. §. 1. ff. de V.S. in qua  
etiam videmus restrictam testatoris potestatem: Nam si  
quæratur: An testator in testamento exceptiones alias

B com.

Testator ex-  
ceptionibus  
heredibus alias  
competenti-  
bus, eos priva-  
re potest,

competentes afferre possit? Distinguendum est inter debitores & heredes, in præjudicium debitorum non valeret hæc Dispositio, bene tamen in præjudicium heredum: v. g. si quis à Judice incompetente citatur, exceptio nem fori incompetentis opponit, qua forum Judicis tanquam incompetentis declinatur. *I. fin. C. de Except.* Sed testator heredem ad certum forum adstringere potest. *L. 52. §. 1. ff. de Judic.* ibique Nave in System. n. 2. Bertachini in Repert. Lit. T. sub, N. 60. Quia heres huic exceptioni renunciare valet, *I. i. & 2. ff. cod.* quapropter eo ipso, dum hereditatem adiicit, renunciasset præsumitur. Verum si foro competenti renunciare non possit heres, nec testatoris dispositio valebit, unde illud oriri videtur, sc. quod testator non possit in suo testamento cadere, ut clericus conveniatur coram Judice seculari. *Rol. à Valle V. I. Conf. 4. n. 12. vid. Ceph. Lib. 4. Conf. 458. n. 35.* Clericus enim foro renunciare non potest, *c. 18. X. de foro compet.* cum Judex secularis sit incapax Jurisdictionis in Ecclesiasticos *c. 2. X. de Judic.* ideo nulla est Jurisdiction, quæ prorogari possit; accedit, quod Juris sanctionibus prohibeatur, ut clericus coram Judice laico conveniatur. *Auth. Statutus. C. de Episc. & Cler.* quare dubium non est, quin non possit testator Leges illas abrogare. Unde colligitur, quod testator non possit heredem adstringere ad forum illius Judicis, qui illam Jurisdictionis speciem non habet, quæ requiritur in causa heredis, v. g. ut in causa matrimoniali se sistat coram Judice laico, vel in causa civili coram Judice, qui tantum Jurisdictionem criminalem habet, *I. 61. §. 1. ff. de Jud.* cum privati jurisdictionem dare non possint judicii, ejusmodi jurisdictionem non habent. *I. 3. C. de Jurisd.* testator enim non potest formam jurisdictionis in testamento mutare, aut Juri publico derogare, *I. 13. C. de testam.*

§. IX.

§. (11)

§. IX.

Illud controversum est, utrum mulier in testamen-  
to caverē possit, ne exceptio SCti Vellej. opponatur con-  
tra fidejussionem à se factam? Et Responderetur. Distingu-  
eretur inter heredes & creditores. Licet enim mulieris here-  
dibus detur exceptio SCti Vellejani, si ex fidejussione con-  
veniantur. *I. 20. C. ad SCti Vellej.* Attramen si Mulier in te-  
stamento heredibus mandet, ut fidem suam liberarent, ac  
creditori ex bonis suis solverent, tunc sane hæredes  
beneficio SCti Vellejani se tueri non possunt, *arg. I. 5. C. de*  
*Rel. & Sump. fun. Sande lib. 3. Dec. Frif. tit. II. Def. fin. Cre-*  
*ditoribus verò ejusmodi prohibitio non nocet, sed moto*  
*concursu creditorum nihilominus hanc exceptionem*  
*opponere valent.*

§. X.

Nomina & Obligationes dividuae ipso Jure & activè  
& passivè sunt divisæ, *I. 6. C. fam. ercisi*, quapropter si unus  
coheredum à creditore in solidum conveniatur, datur ei  
exceptio plurium coheredum. An itaque testator hanc  
exceptionem heredibus auferre, eosque obligare possit,  
ut singuli in solidum teneantur, ita ut nec beneficio di-  
visionis uti possint, dubitatur? Negativam defendit  
Franzk. *Lib. I. Resol. 6. n. 28. (1.) obl. 69. §. 2. ff. de Leg. I. (2.)*  
quia nec pactum credito adjectum, ut heredum singuli in  
solidum tenerentur atque conveniri possint, heredibus  
nocet, *I. 56. §. 2. ff. d. V. O. (3.)* quia id beneficium, quod di-  
visio debiti & actionum inter heredes ipso jure fiat, non à  
testatore, sed à Lege habent, cuiusmodi beneficia per de-  
functum non possunt auferri heredi, in his enim, quæ hæ-  
res non à defuncto habet, sed à sua persona, non tenetur  
præstare factum defuncti, sed potest ei ex Jure suo proprio  
contravenire, *arg. I. fin. C. de Evit. I. 2. C. si quid in frau-*  
dem

dem Patr. (4.) quia hæres pro ea saltem parte defunctum  
repræsentat, pro qua hæres est, in reliquis pro extraneo  
habetur. l. 14. C. de R. V. l. 2. §. 2. ff. de Præt. stip. Unde pro  
ea parte, pro qua hæres non est, potest contravenire facto  
defuncti. Aff. vero defendant Carpz. P. 3. Dec. 252. n. 26.  
Christin. V. 6. Dec. Belg. 53. n. 4. Modo testator in testa-  
mento actionem vel Jus creditorū dederit, heredes in so-  
lidum conveniendi, & æs alienum, quod ab uno in soli-  
dum exsolvendum, non excedat ratam ejus hereditariam,  
quam à defuncto habet. Tunc enim ex heredum perso-  
na nihil obstat, quin ab uno petere liceat, dum unum  
pro alio onerare potest. l. 20. §. 3. ff. l. 21. C. fam. erc. & de  
bonis suis quisque pro libitu disponere valet, voluntas  
enim pro lege est. l. 9. pr. ff. de cond. & dem. quæ præcise ab  
hæredibus est servanda, postquam hi facto defuncti con-  
travenire prohibeantur. l. 14. C. de R. V. Ad alleg. l. 69. §. 2.  
respondetur (1.) illam loqui de casu, si testamento non sit  
data actio vel Jus creditorū, sed tantum heredes jussi sunt  
solvere in solidum, ex quo creditorū contra heredes non  
datur actio in solidum, quia cum creditore nihil actum,  
ex quo actionem consequeretur, licet coheredibus inde  
actio detur. Secus se res habet, ubi etiam creditoribus  
Jus petendi ex ultima voluntate acquiritur. (2.) Respon-  
detur: Ab ultima voluntate ad pacta, ubi diversitatis ra-  
tio apparer, argumentum in Jure non procedit, Carpz. ve-  
rò P. 3. Dec. 252. n. 27. distingy. inter hæredes extraneos &  
liberos, quod itaque pacto hæredes singuli in solidum  
obligari non possint, intelligit qua extraneos hæredes tan-  
tum, qua liberos verò subsistat, non quidem virtute pacti,  
sed ultimæ dispositionis inter liberos s. divisionis à Patre  
factæ, quia dispositio paterna inter liberos & placitum  
paternæ divisionis bonorum, & æris alieni, qua liberos,  
susti-

Iustinetur, ex nuda ipsius voluntate absque ullis etiam testibus in schedula consignatum anno & die addito Nov. 18.  
 c. 7. Nov. 107. c. 1. l. ult. C. fam. eresc. At Dn. Stryck. in Caut.  
 Contr. S. 3. Cap. 4. §. 7. promiscue pactum, quo testator heredes suos in solidum obligavit, & iis beneficium divisionis ademit, tam inter liberos, quam extraneos valere, statuit, eò quod testator per pactum heredem ad hoc obligare possit, ad quod ne ipse quidem vivus obligabatur, cum obligatio ex ipsa heredis persona initium capere possit, arg. l. nn. C. ut aet. & ab hered. & contr. hered. incip. in qua Lege abrogat Justinianus antiquam regulam Juris, heredem non posse succedere in obligationem, quæ in persona defuncti non constitisset, §. 14. J. de inutil. stip. ad l. 16. §. 1. ff. de V. O. respondetur, non absolute inutile illud pactum, si quis promittat debitum dividuum ab uno herede solutum iri, dici, sed tantum respectu reliquorum Coheredum, cum expresse non actum, ut hi eximantur obligatione. (3.) Respondetur: Provisionem hominis potentiorē esse provisionē Legis, ita ut heredi a defuncto quid auferri possit, cum & rem heredis testator legare valeat, & heres ad factum ejus præstandum simpliciter obligetur, nam heres ex testamento succedens non habet bona, nisi ex beneficio testatoris, idē aut relinquere aut obtemperare opus habet. l. 114. §. 15. ff. de leg. 1. cuique enim integrum, num sub conditione imposita recipere an repudiare velit. (4.) Respondetur: testatorem etiam inæqualiter gravare posse heredes, l. 34. §. ult. ff. de Leg. 3. & disponere, ut onera sint unius heredum solius.

## §. XI.

Controvertere solent Dd. an, si heres gravatus fidei commissis, sit creditor testatoris gravantis, teneatur quantum cum debito compensare? Et respondetur Neg. Joh. van Muyden ad ff. tit. ad L. Falcid. §. 18. quia heres potest

An testator eiusmodi perficeret queat dispositionem, ut fiduciarius creditor creditum in quartam imputet?

detrahere ex hereditate debita propria, l. 68. pr. l. 78. §. 6. ff.  
ad Sct. Trebell. l. 7. §. 18. ff. de hered. & act. vend. l. 6. pr. C.  
ad L. Falcid & testator non censetur heredem gravatum  
instituere animo compensandi, arg. l. 85. ff. de Leg. 2. l. 6. C.  
de hered. inst. Bened. Pinel. Lib. 1. Selectar. cap. 7. n. 6. seqq.  
Nisi testator caveat expresse, ut debitum imputetur in  
quartam. l. 12. ff. ad L. Falcid. tunc enim Falcidiam sibi in  
debitum compensare tenetur. Verum si debitum exce-  
dat quartam, dubitatur, an valeat testatoris dispositio: vi-  
detur hic restricta esse testatoris potestas, cum alias  
per hanc viam possit creditor suo debito defraudari, & ma-  
gis dicatur gravatus, quam honoratus, contra l. 114. §. 3.  
ff. de Leg. 1. tamen si heres acceptet hereditatem, nihil am-  
plius debito petere potest, sibi enim imputet heres, qui  
intempestive hereditatem adiit, quo facto, tanti videtur  
quartam aestimare, quanti fuerit in debito, arg. l. 70. §. 1.  
ff. de leg. 2. l. 36. pr. ff. ad L. Falcid. & hoc est in causa, pro-  
pter quam Papinianus. Ictus in l. 77. §. 31. ff. de Leg. 2. ait,  
prudentius facturum heredem, si hereditatem repudia-  
verit.

## §. XII.

Testator unius  
testis dictis ut  
plenissima ha-  
beatur fides,  
demandare  
poterit heredi-  
bus,

Testamento major fides habetur, quam testibus;  
Hinc si aliud scriptum in testamento, aliud Testes afferant,  
qui testamento subscripterant, testamento magis, quam  
testibus credendum est. Ant. Matthæi de Probat. cap. 3. n.  
137. quia testamentum est probatio probata, remque facit  
notoriam. Ludov. Dec. 18 n. 60. Schilter in Conf. argent.  
Resp. 135. p. m. 8n. Testamentum enim instrumentum est  
publicum, l. 2. ff. testam. quem aper. publica autem instru-  
menta potiora sunt testibus. l. 10. ff. de probat. nam ex testa-  
mento, scilicet si nullo substantiali & visibili vito laborat.  
in possessionem statim mittitur heres, l. fin. C. de Edic. D.  
Hadri.

Hadr. toll. Philipp. in Uſu Pract. Lib. 2. Eccl. 79. n. 14. Parla-  
dor. Lib. 2. Rer. quot. P. 1. cap. fin. § 9. n. 1. Mev. ad J. Lub. P.  
3. tit. 1. art. 1. n. 13. Verum cum testamentum condatur  
tantum a testatore, & eius sit voluntas tantum, non duorum  
aut plurium, tunc testatori solummodo est præjudi-  
cio, & iis, qui instituti: sed cæteris, aut extraneis, aut  
creditori non item. pen. §. 10. ff. de Leg. 2. l. 37. §. 5. ff. de  
Leg. 3. Nov. 48. c. un. §. 1. Scharschmid. Ex. 9. ad Nov. th. 47.  
Sic dispositio testatoris, quod credatur testi uni, valet  
quidem in præjudicium heredis. l. 14. ff. de dot. præleg.  
Felin. in c. 10 X de tefib. n. 18. Alex. Imol. Lib. 3. Conf. 76. n. 7.  
Tepat. Par. sent. tit. 588. c. 23. v. g. quando testator legauit  
alicui pecuniam sibi per eum numeratam, de cuius quanti-  
tate voluit stari dicto ipsius legatarii, arg. l. 14. ff. de dote  
præleg. Joh. Crotus de tefib. P. 6. n. 2. it. si quis uxori o-  
mnium bonorum usu fructu legato, dicat se privare here-  
dem hereditate, si illam inquietauerit; jubeatque ut de  
facto inquietationis juramento uxoris stetur, arg. d. l. 14.  
Quod tamen Diod. Tulden ad tit. Cod. de his, que paena  
nom. n. 1. intelligendum putat, concurrentibus indiciis in-  
quietationis. Cum in cit. Leg. non jubeat testator stari  
juramento ejus, cuius interest. Vel si forte an quicquam  
secreto alicui crediderit, quod non aliud sciat, permisum  
est testatori disponere, ut soli huic fides adhibeatur. d. Leg.  
14. Hieron Pantzschmann P. 2. qu. 2. n. 52. Car. Ruinus. V.  
2. Conf. 19. n. 5. seqq. it. Testator disponere potest, ut stetur  
dicto ejus de persona, cui volebat legare, quam ipsi nomi-  
nauit in secreto. l. 25. ff. dereb. dub. Pari ratione testator  
ita disponere valet; heres meus esto, quem Cajo in secre-  
to nominavi. Nec obstat. L. 32. ff. de hered. inst. quod  
fil. institutio heredis non debeat conferri in arbitrium  
tertii. Nam aliud est in libera voluntate alterius po-  
nere

nere substantiam dispositionis, & aliud est, committere ei declarationem ejus, quod testator disposuit & ordinavit. arg. l. 21. §. 1. ff. qui testim. facere poss. Verum an jurare debeat vel non, disquiritur? Distinguit Andr. Barbat. de *Prestantia Cardinalium* qu. 2. P. 2. n. 18. Num testator disposuerit standum dicto alicujus de eo, quod ipse testator eidem dixit, & quia dictum illius est quoddam testimonium voluntatis defuncti, magis quam judicium deponentis, deponere debet juratus ut testim. l. 9. C. de *Testib.* Ant. Gabriel *Lib. 1. de Testib. Concl. 1. n. 30.* Testis enim injuratus fidem non facit. Jac. Aegydi. *d. testib. n. 11.* An vero testator dixerit, standum dicto alicujus, i. e. voluntati ejus, de eo, quod ipsi videbitur, tunc non est testim, sed magis est quidam arbitrator, ideoque non debet jurare. Auth. decernit *jus novum C. de rec. arbitr.* Vital. de Camb. de *Clausulis rubr. Enunciativa verba in Epistolis prolat. n. 3. p. m. 18.* Dissent. Rebuff. *adl. 3. §. 1. ff. de V. S. n. 5.* Verum in præjudicium debitorum aut aliarum extranearum personarum, testator, ut credatur testi uni disponere non potest. Math. de Afflict. *Dec. 371. n. 5.* Oldendorp. de *Probat. §. de semiplena probat.* Testamentum enim extra-neis non præjudicat. *l. pen. §. 10. ff. de Leg. 2. l. 37. §. 5. ff. de Leg. 3. Nov. 48. c. un. §. 1.* Scharichmid *Ex. 9. ad Novell. th. 47.* Et regulariter unius testis responsio non auditur, *L. 9. §. 1. C. de Testib.* Casus tamen excepti, quibus unius testis dicto creditur. *vid. op. Carpz. P. 1. C. 16. Def. 38. 39. & P. 2. C. 7. Def. 16.* e. g. in casu pauperiei coram custode factæ, solius custodis recipitur testimonium, *Land N. L. 2. Art. 54. ib. Gl. off. n. 4.* Joh. Thome de Nox. *Animal. C. 8. n. 3. & 4.* Hinc licet maritus testator Paraphernalia se accepisse & in usus suos convertisse, in præjudicium aliorum creditorum fateatur, & ut stetur dicto unius testis disponat, attamen probatio suffici-

sufficiens non est. l. 9, pr. C. de bon. proscript. Mev. P. 3, Dec. 14. it. si maritus in favorem liberorum in testamento disposuerit, ut uxori ex pactis dotalibus debeantur CC. quos liberi ipsi solvere debeant, & aliter pacta dotalia esse confecta liberi probare non possint, non prajudicat uxori in petenda portione statutaria; quando enim confessiones testatorum in ultima voluntate in fraudem videntur adiecta, nihil prosunt eis ad relevandam probationem, pro quibus adjiciuntur. l. 27. ff. de probat. l. 25. ff. de liberat. leg. Oldendorp. de probat. Reg. 33. quia quoties hujusmodi assertiones testamentariae tendunt in prajudicium tertii non attenduntur. Ansald de Ansald. de Commerc. & mercatur. Discursu 50. n. 83. & confessiones de sui natura confitenti solum, non vero aliis nocent. arg. l. 20. pr. ff. de interrog. act. Joh. Garsias de tacito fideicom. n. 18.

## §. XIII.

Sed de Juramento quid dicendum? Annō testator heredem ad strictam observantiam voluntatis suę obligare possit per juramentum? Resp. Neg. nam etiam si non juraverit, nihilominus heres existit, non aliter, atque si nulla jurisjurandi conditio inserta fuisset. l. 8. ff. de cond. in lit. l. 26. ff. de cond. & dem. Manzius in Decis. Palat. qu. 40. n. 24. seqq. Quia citra juramentum heres ad adimplendam ultimam voluntatem adstringitur, & sic nulla utilitas vel necessitas juramentum svadet. Felde de Act. real. cap. 12. §. 28. Cum enim faciles sint nonnulli homines ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi, metu divini Numinis usque ad superstitionem; Ne itaque hi vel illi consequerentur vel perderent, quod relictum est, Prator consultissime intervenit, & recte hoc procedit, ne is, qui sub jurisjurandi conditione institutus est, aut omittendo conditionem, perderet hereditatem, aut cogeretur turpiter accipiendo conditionem, jurare. Religionem namque

C con-

An testator ad satisfaciendum voluntati in testamento expresso heredem juramento adstringere queat?

contemnunt, qui facile jurant; & hi impii; alii metu divini Numinis vix jurant, & hi plerumque superstitionis dicuntur. Ita neque in Jurejurando impieras neque superstitione ferenda. Vasqu. *de success.* T. 2. Lib. 3. §. 30. n. 89. Ad hæc juramentum est invocatio nominis divini, sequitur ergo, non temere, & sine sufficiente causa, jurandum esse, cum alias profanetur nomen Dei. C. 26. in fin. X. *de jurejur.* Matth. C. 5. v. 34. & Jacob. Epist. V. v. 12. in quibus textibus pravus juramenti usus supprimitur: Reprehendit enim Christus d. Matth. 5. perversum Judæorum judicium, qui existimabant, nihil in juramento cavendum esse, præter mendacium, & ideo de rebus levissimis & nullius momenti jurabant, & ab aliis juramentum exigebant. Hunc morem Christus redarguit, docetque non esse jurandum omnino, nisi cogat necessitas. Unde dixit: Nolite jura-re, i.e. non habeatis ex voluntate usum juramenti, sed tan-tum ex necessitate & causa. Hinc heres, qui juraverat se daturum vel facturum, non vi & jure obligationis ex jurejur. descendantis, sed vi obligationis descendantis ex ultima voluntate defuncti tenerur. Nec obstat l. 39. ff. *de jurejur.* Resp. enim, non reprobatur juramentum in conventionibus. Nam aut conditio juramenti apponitur in contractibus, & tunc sive in futurum, sive in præsens, sive in præteritum apponatur, semper est implenda conditio, quia conditio apposita in contractibus apponitur utriusque partis consensu, & ita consentit is, cui est imposita conditio jurandi, quam quia suscipit, debet præstare. Aut loquimur de ultimis voluntatibus, tunc distingvendum est; vel enim conditio juramenti sonat in præteritum, vel in præsens, quo casu illa debet impleri. l. 97. ff. *de cond.* & dem. l. 62. pr. ff. *de A.* vel *A.H.v.g.* Si maritus leget uxori dotem, si juraverit, verè amissam esse dotem, aut sonat in futu-

futurum, sc. jurabis te extructurum monumentum: & hoc casu juramentum est remittendum propter metum perjurii: Posset enim fieri, ut jurares hodie, quod tamen præstare nequires. Brunnemann. ad l. 6. C. commun., utriusque jud. & quia nulla necessitas neque utilitas svadet juramentum, & is, qui sub conditione jurisjurandi aliquem adstringere voluit ad faciendum, is potius factum ipsum desideravit, quam juramentum, & magis principaliter sub conditione faciendi, quam sub conditione jurandi instituit, ideoque heredem jurare voluit, ut tanto magis fieret, quod ipsi faciendum injunctionem fuit: Cumque citra juramentum ad faciendum obstringatur, voluit Praetor in cit. l. 8. juramentum remittere, & factum ipsum adimplentes ad hereditatem admittere, non adimplentes repellere. Ergo cogi potest heres implere, quod testator voluit, sed non cogitur jurare, se factum vel impletum. Exceptio est, si libertas sub conditione jurisjurandi relictā, tunc servus juramentum in futurum præstare tenetur, & jurisjurandi conditio non remittitur, l. 12. ff. de manum, testam. Et quia moriens non videtur immemor salutis æternæ, arg. l. fin. C. ad L. Jul. repet. l. 26. C. de Nupt. hinc si juramentum accedat assertioni testatoris, id obligat omnino heredes, Auth. quid obtinet &c. C. de prob. Nov. 4. cap. 2. Rittershi. add. Nov. P. 6. C. 7. Brunnenm. ad L. 6. C. de probat. v. g. Si moriens juraverit, se nihil præterea habere, hoc amplecti debent heredes, sive filii sive extranei sive moriens ju- raverit, se ni- hil præterea in bonis habe- re, hoc ample- ctū tenentur heredes.

sunt  
ad iuris iur.  
laeqas ex libris  
filiosq. libri  
volumina m  
2. libro

declaratione morientis licet jurata, alia etiam defuncti bona perscrutari, sibique nomine hypothecæ vindicare, aut aliis juris uti remediis, Rittershus, ad Nov. P. 6, C. 7 n. 6.

## S. XIV.

**A**n testator hereditibus appellandi potestatem adimere possit;

Appellantia nemini quidem deneganda est, in tantum, ut nec judex valeat appellationem prohibere aut restringere. Mev. P. 2. Dec. 8. & 78. Sed punitur Judex appellationi non deferens de jure civili XXX. Libr. aurei. L. 21. C. de appell. vid. Nov. 126. C. 3. De jure vero Cantatum arbitrarie. c. 31. x. de appell. Verum an testator prohibere possit appellationem disquiritur? Et distinguendum est inter heredem & debitorem, debitori interdicere non potest appellationem, Hackelmann. Disp. 16. tb. 3. lit. C. alias sequeretur absurdum maximum, nempe esse in manu creditoris fraudare debitores imposito pracepto de non appellando. Nec appellans potest renunciare appellationi in præjudicium adversarii; arg. l. 76. ff. de R. J. c. 33. eod. in 6. bene tamen heredis. Brederod. de Appellat. P. 1. tit. XI. lit. C. p. m. 37. Lancell. de Attent. P. 2. cap. 12. lim. 8. n. 7. Trentacinqv. Lib. 2. var. Ref. n. n. 2. de appell. Besold. de appell. cap. 6. n. 44. Unde si testator, qui cum Cajo item gerebat, juberet in suo testamento, ne heres à sententia, quæ in lite lata esset, appellaret, heres appellare non posset, quia per pactum conveniri potest, ne à sententia judicis in causa civili appelletur, l. fin. §. fin. C. de temp. appell. l. 1. §. 3. ff. aquib. appell. non lic. Lancell. tract. P. 2. c. 12. in Pref. n. 22. Sigismund. Scaccia de appell. Qu. 17. Lim. 2. n. 6. seqq. Ex quo appareret, non plane inutilem esse cautelam, ut debitor in obligatione renunciet beneficio appellationis, add. Stryck. in Caut. Contract. Sect<sup>1</sup> 1. cap. 5. Nec obstat, non valere tale pactum, per quod Judex

Judex ad delinquendum & partibus injuriam inferendam invitaretur. Nam resp. pro Judice esse præsumptionem, quod juste sit judicaturus, alias Judex litem facit suam & tenetur ad interesse: Quia talis renunciatio non comprehendit jus parti competens contra Judicem. Jam vero bonum est argumentum à contractibus ad ultimas voluntates. *l. 21. ff. de V. O. l. 44. §. 5. ff. de leg. l.*

## §. XV.

Possessio acquiritur demum apprehensione *l. 3. §. 1.* Testator efficitur nequit, ut 3. & *l. 18. ff. de acquir. vel amitt. poss.* ideoque si possessor moriatur, regulariter neque in heredem transit. *l. 1. §. 15. ff.* jure in hereditatis transcat, *si quis testam. &c.* Neque etiam ipso jure in suum heredem continuatur, *l. 29. ff. de usurp.* & usuc. Strauch. *Disp.* 6. apb. 17. nisi res apprehendat, *l. 23. ff. de acq. vel am. poss.* Gail. *Lib. 2. Obs. 129.* nam jus occupandi hereditatem propria autoritate, non vero ipsa possessio transmittitur, quia facti est, *l. 1. §. 3. ff. Cod. l. 12. §. 2. ff. de captiv.* & poss. lim. h. e. fine facto humano acquiri non potest, si excipias fictas traditiones & apprehensiones. *l. 1. §. 15. ff. si quis qui testam. liber.* Stryck. *in Caut. Contract. Sect. 3. cap. 3. §. 10.* Nec obstat *l. 2. §. 2. ff. pro herede*, ubi quidem dicitur, quod possideat res donatas, verum non ut heres, sed ut naturalis possessor, filius enim naturalem possessionem vivo patre jam habuit, sed quia titulus donationis inter patrem & filium, licet transferat naturalem possessionem in filium, *arg. l. 1. §. 4. ff. de Donat. inter vir.* & uxor. Pinell. *ad rubric.* *C. de bon. mat. P. 2. n. 40.* tamen est invalidus, *l. 26. C. de donat. inter vir.* & ux. causam possessionis mutare, & ita rem pro herede usucapere non potest. *l. 2. §. 1. ff. de acquir. vel am. poss. poss.* Nec porro obstat *l. 11. ff. de lib.* & possib. Resp. enim

Enim, argumentari ab acquisitione dominii ad acquisitionem possessionis non licere. *l. 12. §. 1. ff. de acqu. vel amitt. poss. Gail. Lib. 2. obs. 152. n. 3.* Nec etiam obst. *l. 14. §. 1. ff. de divers. temp. prescript.* Nam non dicitur in b. l. quod possessio transeat ipso jure in heredem, sed si apprehensa sit ab herede, censetur semper continuata, & in momento mortis ad heredem devoluta. Contrarium autem statuto vel consuetudine introduci posse arg. *l. 16. ff. de preceario. l. 1. §. 1. ff. pro Socio*, statuit Struv. in S. J. C. tit. de *adqu. vel am. poss. eff. tb. 17. §. recte &c.* quod & in aliquibus locis factum est, utri de Gallia & aliis Provinciis testatur Tiraq. in tract. le mort saisi. le vif. Tom. IV. Declarat. 2. P. 1. n. 1. seqq. nim. quod ex consuetudine Gallicana possessio defuncti ipso Jure transeat & continuetur in heredem, sive alia ulla apprehensione, i. e. ut ad quoscunque juris effectus pro possessore habeatur. Verum an testator disponere poslit, ut possessio rerum hereditiarum ipso jure ad heredem transeat, vel si statutum extet, quod possessio continuetur in heredem, testator contrarium possit disponere, disquiritur. Et hac in parte restrictam esse testatoris potestatem asserimus cum Franc. Milanensi. Lib. I. Dec. 3. num. 59. Privatus enim non potest facere, ut possessio transferatur ipso jure solo animo, & sine actu vero aut ficto à Jure introducto. *l. 30. §. 5. ff. de adqu. vel am. poss. eff. ut pote in qua lege dispositum est, ut solo animo possessio obtineri non possit, cui legi testator contravenire nequit.*

*Quær. An legarum poenae causa reliquum valeat?*

### §. XVI.

In delictis & poenis irrogandis quoque non plane libera facultas testatori est relicta. Olim testatori non permettebatur, coercendi heredis gratia quid relinquere sc. in solius heredis odium, non etiam ob favorem Legatarii, aut alterius, aut sui ipsius; *l. 2. ff. de his. qua poena causa rel. l. 1. §.*

1. §. 8. ff. ad Leg. Falcid. Sed ejusmodi Legatum pœnæ adjectione infirmabatur. *L. un. C. de his, qua pœnæ nom.* §. *fn. f. de leg.* v. g. Si heres filiam suam in matrimonium Mevio non collocaverit, dato X. aureos Cajo; Tum quia in heredis voluntate Legatum poni non potest, *l. 43. §. pen. ff. de leg.* *l.* in herede autem situm erat, velletne facere iusta defuncti, vel non facere, ac proinde in ipsius heredis arbitrio erat, velletne Legatum debere & præstare, nec ne: Nam si iusta testatoris ficeret, nihil deberet: si non faceret, Legatario obligaretur. Tum quia finis legandi hujusmodi Legato obstat; cum Legata ex benevolentia erga Legatarium proficiisci, non odio heredis relinqui debeant. Aliud, si illa pœna Legatarii favorem simul concernat. Itaque tale Legatum: heres meus Sempronio ædificet domum, aut si non ædificaverit, ipso dato M. & si quæ similia, non est exemplum Legati pœnæ, sed revera Legatum alterriativum. Etsi enim & hic constringitur heres, id tamen non sit heredis puniendi, sed Legati juvandi causa. Hodie mutatum hoc est, & Legata pœnæ nomine relictæ valida sunt, *L. un. C. de his qua pœnæ nom.* §. *fin. J. de Leg.* nihil enim iniquitatis habet, siis, qui heres instituitur, aut Legato honoratur, pro modo relictæ à testatore constringitur, ut aliquid faciat, quod honeste facere poslit. Nisi aliquid impossibile contineant, nam tum sunt talia legata ipso jure nulla. *l. 1. ff. de his qua pœna causa.* Impossibilitas autem duplex est, alia conditionis, alia pœna. Legatum pœnæ, cui impossibilis causa vel conditio adiecta, vitiatur utique; quia pœna non habet locum, ubi neque culpa neque mors; Neutrum autem adest ob impossibilitatem, ut sic merito ad pœnam non sit adstringendus. Legatum sub conditione impossibili non vitiatur, sed impossibilitas pro non adiecta habetur. §. 10. *J. de hered. inst.*  
Disting.

Disting. autem hic, num turpis conditio adjiciatur heredi Legatum solventi, an vero ipsi Legatario. Priori casu Legatum non valet: e. g. Si heres Mevium non occiderit, solvat Javoleno. C. Covarr, ad cap. Raynaldus 18. §. 1. de Testam. n. 17. Tit. 1. bene tamen casu posteriori, e. g. Lego Javoleno C. si Mevium occiderit. In quo male dissentit Groenenegen, qui hodie tale legatum plane inutile esse vult. Itaque si testator heredem, si non obtemperasset præcepto alicui licto, hereditate se privare dixerit, hac pœna privationis locum habet; modo illud præceptum sit, quod à testatore potuit prohiberi, nam alias testator non potest facere, quo minus Leges in suo Testamento obtineant; E. g. Pater prohibere sub pœna non potest, ne filius Legitimam petat, vel ut Taxationi à se factæ in præjudicium Legitimæ credat. Item licet testatori privare heredem vel Legatarium portione sibi relicta, si impugnaverit ipsius iudicium ac voluntatem. Quæ prohibitio heredes ac Legatarios ita adstringit, ut si impugnantes testamentum non obtinuerint, privationis pœnam incurant, nec hereditatem ac Legata sibi relicta petere valeant. Carpz. P. 3. Conf. 7. D. 23. Restricta tamen est voluntas testatoris, & pœna privationis ab eo statutalocum non habet, si testamenti solennia solummodo heres vel Legatarius impugnaverit, idque rite factum negaverit. l. pen. ff. de his que ut indign. Carpz. cit. loc. def. 24. Quia testator defectum solennium in suo testamento supplere non potest, sed si aliquid contra jus vel Legem disponat, ejus voluntas servanda non est. l. 14. & 27. ff. de cond. inslit. l. 27. ad L. Falcid. ubi JCtus tradit regulam, quod fieri nequit per viam Dispositionis, non potest etiam fieri per viam conditionis pœnalnis, ne per indirectum concedatur, quod directo est prohibitum.

Fin-

Finck. obf. 109. n. 13. f. Sed quæritur, quid si poena heredi constituta, si tertius hoc vel illud fecerit, vel non fecerit, an debeatur? Resp. Distinguendo, num statim sub hac poena v. g. privationis conditionaliter relinquatur, an vero prius pure, & postea sub conditione ita adimatur hereditas. Illo casu non debetur hereditas, v. g. Mevius heres esto, si Caesar Sejam duxerit, si autem Sejam non duxerit, non Mevius, sed Sempronius heres esto, l. 13. ff. de manum. testam. hoc casu debetur, e. g. relinquo Mevio centum, ut extruat monumentum, & si non extruxerit, privo heredem hereditate mea. Quia heredi jus est quæsumum, jure autem quæsumo non potest privari heres ex facto alterius, l. 44. ff. de hered. inslit. poena enim esset injusta, cum non sit justum, ut alter pœnam patiatur de culpa aut facto alterius. Corsetus Sing. 374. aliud in Jure quærendo, nam pendente adhuc conditione nil datum est heredi. l. 8. ff. si quis omissa causa test. Ulterius sola confessio testatoris ad probationem testamenti coacti sufficit. Carpz. P. 3. C. 5. def. 12. Majer. Coll. Jur. Argent. L. 28. Tit. 6. Etiam si non exprimat nomen. Petr. Peck. de Testam. Conjug. C. 10. Diff. Mart. de Testam. T. 3. Qu. 1. n. 6.

## §. XVII.

De Execrationibus Testatorum disquiritur, an aliquem effectum habeant? Id quod negamus, superfluum enim est, illos maledictionibus onerare, quibus etiam sine iisdem terriculamentis obsequii gloria relicta est. Solent quidem testatores pias fundationes diris & execrationibus quibusdam munire, ut a profanatione sacrarum & DEO dicatarum rerum eo magis homines absterrantur, Henr. Linck, de Jur. Tempor. C. 12. n. 34. Si autem Dispositio testatoris Legibus adveretur, nec execrationes testatorum valent. Quando autem testator quem increpaverit, effectu non destituitur. Sic, qui in testamento

Execrationes  
testamento-  
rum quid ef-  
ficiant?

patris increpatus est, ejus fama sigillatur, *l. 13. C. ex quib.  
caus. infam. irrog.* Jacob. Butrigar. *de testib. pr. n. 40.* Pater  
 enim maturo judicio in testamento id dicere presumitur,  
 & non calore iracundiae, hinc merito apud graves viros ea  
 de causa minoris estimationis habetur. Verum restri-  
 ctam reprehendimus testatoris potestatem in eo, quod li-  
 cet liberi a patre suo in testamento sint notati, non ideo in-  
 fames fiant, *l. 29. §. 1. ff. deprob.* Quia ex re infertur, et  
 iamsi mater in testamento affirmet, filium ex proprio ma-  
 rito, viroque illo non esse generatum, haec tamen assertio  
 filio detrimentum aliquod afferre non poscit. Gail, *Lib. 2.  
Obs. 97. n. 8.* cum nec omnis moriens credatur justus. Item  
 licet testator in testamento asserat, se cum Caja adutel-  
 rum commisisse, haec tamen assertio Cajae non praedi-  
 cut, quia istiusmodi confessiones solae de se nocere aliis nec so-  
 lent nec debent. *l. 3. §. 1. ff. ad Sct. Syllan.* Peter. Peck, *ad  
c. 49. de R. J. in b. n. 5. & 6.* vel si testis in testamento asse-  
 rat, se falsum dixisse testimonium, non tamen ei creditur  
 in praedictum eorum, pro quibus testimonium dictum  
 fuit. *Obs. l. 4. C. de bis quib. ut indign.* in qua Lege dici-  
 tur, si in Testamento Testator reputavit heredem indi-  
 gnum, aufertur ab herede tanquam ab indigno hereditas,  
 Sebas. Guazzinus *de Confiscat. bon. Concl. 12. n. 50.* & fisco  
 applicatur. Mantica *de conject. ult. Vol. Lib. 8. Tit. I. n. 30.*  
 Verum resp, ideo heredi hereditas aufertur, quia eo tem-  
 pore, quo id in testamento facetur testator, habet libe-  
 ram disponendi de rebus suis facultatem, & potest vel di-  
 recte vel oblique hereditatem heredi adimere, quando  
 autem haec libera disponendi facultas cessat, aliud asseren-  
 dum esset. Sic quibus debetur legitima portio, non pos-  
 sunt exheredari, nisi legitime observata forma in *Nov. 115.  
c. 3. præscripta.* Cum itaque Pater filium exheredat &  
 exheredationis causam exprimit, illa causa falsa presumi-  
 tur,

tur, nec testatori adhibenda est fides, sed eam veram esse probandum est ab heredibus. Menoch. Lib. 4. pref. 29. Pari ratione nec Testatoris exculpatio prodest tertio. Quapropter non creditur testatori dicenti non se vulneratum esse à Mevio. Lanfranc. de Oriano de Arbitris P. 4. n. 4. Eiusm. quidem exculpatio facit indicium innocentiae. 47. §. 1. ff. de Bon. libert. si tamen liquido constaret de criminе, hoc non obstante puniendus esset delinquens. Alex. Imol. Lib. 3. Conf. 14. n. 2. nec obstat. l. 2 ff. ad SCt. Syllan, hæc enim lex non vult, crimen purgari posse per defunctum, sed officium servorum purgari posse, ut ne ad poenam ventur, quod opem non tulerint.

## §. XIX.

Colophonis loco disquiritur: An testator possit heredi suo testamenti factionem adimere. Et Resp. directo non valet hæc dispositio, l. 77. §. 24. ff. de Legat. 2 tot. tit. ff. Cod. Si quis aliquem test. perhib. ne quis aliquem prohibeat testamentum facere, aut testamentum factum mutare, cum nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrum. I. C. de SS. Eccles. & testator facere non possit, ne leges in suo testamento locum habeant, l. 55. ff. de Leg. 1, hæc tamen dispositio inducit fideic ommissum: Nam si testator vetet aliquem ex heredibus suis testamentum condere, donec liberos suscepit, tacite mandasse censetur, ut hereditatem restituat coheredi. l. 74. ff. ad SCt. Trebell. Donell. Lib. 7. C. 17. lit. F. Nec obstat l. 77. §. 24. ff. de leg. 2, in qual. traditur, quod si Pater in Testamento ita disposuerit: Mando filia mea, ut, quoad liberos tollat, testamentum non faciat, quod hæc formula non censeatur fidei commissum relictum. Resp. Disting. Aut testator simpliciter gravavit filium heredem suum, ne faciat testamentum: & tunc valet in vim fideicommissi, ut sc. hæres censeatur

Quantus ex-  
culpatiōnē te-  
statoris iust  
effectus dis-  
quiritur.

Prohibitio, ne  
heres testamen-  
tum condat,  
num obliget?

gravatus de hæreditate restituenda, proximis heredibus  
venientibus ab intestato, ut accidit in d.l.74. Ant. Gomez.  
Tom.1. Var. Resol. de substit. fideic. C.5. n.47. Mantica de con-  
ject. ult. vol. Lib.8. Tit.1. n.29. Aut vero testator non manda-  
vit simpliciter filio suo, ne testamentum ordinaret, sed  
tantum consulendo securitati heredis illud dixit, quo casu  
non censetur per fideicommissum hereditas relictâ proxi-  
mis heredibus ab intestato, sicut fecit testator in d.l.77, in  
qua lege additum fuit: *ita enim poterit sine periculo vivere.*  
Quæ verba, quia prolatæ sunt in formam & modum consilii, nullum Juris effectum, neque fideicommissum indu-  
cunt. Tulden ad tit. C. de fideic. n.1. Consilii enim natura  
est, ut quamvis excitet ad deliberandum, non tamen obli-  
get ad sequendum. arg. l.1. § 14. ff. depos. Barbos. Lib.3. cap.  
57.4x.21. Ex quibus infertur, quod si testator rogaverit he-  
redem, ut Sempronium instituat heredem in bonis sibi re-  
listis post mortem suam, videtur per fideicommissum gra-  
vare, ut ei prædicta bona restituat. l.17. pr. ff. ad SCt. Trebell.  
l.14. § 6. ff. de Leg.1. licet enim restricta sit potestas testato-  
ris, ut iusliss directo valere nequeat, petitur enim ab here-  
de, ut testamentum faciat & certum heredem instituat,  
quod non licet. l.32. ff. de hered. insit. quia adimitur per id  
libera testandi facultas, & testamenta non debent pendere  
ab alieno arbitrio, nemo enim ad testandum cogi potest,  
sed libero id cuiusq; judicio permittitur, l.1.C.d.Sacros.Eal.  
Tabor. ad tit. C. de Donat. tb. 20. ut ideoque alter alteri te-  
stamentum facere nequeat Stuck P.1. Conf.13. n.54. Valet  
tamen perinde, ac si rogasset hereditatem restitui. Qui  
enim voluit Sempronium heredem heridis sui fieri, vo-  
luit, quoque hereditatem suam ad eum pervenire. l.ult. C.  
de hered. insit.

Hæc sunt, quæ pro instituti ratione dixisse sufficient.


*SOLI DEO GLORIA.*

VD18

**ULB Halle**  
007 017 200

3





B.I.G.

Farbkarte #13



1713, 16. 35

ISSERTATIO JURIDICA,  
DE  
ESTRICTA  
TESTATORIS  
POTESTATE,  
CUJUS DEFENSIONEM  
PERMISSU  
LUSTRIS FCTORUM ORDINIS  
SUB PRAE SIDIO  
VIRI EXCELLENTISSIMI,  
N.D.JOH.CHRISTOPHORI  
SCHACHERI,  
RECT. PROF. PUBL. ORD. PRAESULATUS  
MARTISBURGENSIS CANONICI, ACADEMIAE DECEMVIRI,  
FACULTAT. JURID. ASSENSORIS, ET RELIQUA.  
ATRONI ATQUE AVUNCULI SUI  
VENERANDI,  
D. VII. APRIL. A. R. S. M. DCCXIII.  
SUSCIPET  
ASPAR. FRIDER. SCHAMBERG,  
LIPSIENS.  
—  
LIPSIÆ  
TYPIS ZEIDLERIANIS.